



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Nec nihil, nec omnia curare homines debere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

fos vibrantium Baccharum instar, insaniuerunt: denique qui hostem peccatis suis meruerunt nobis adducere, virtutibus suis eundem propellant. Gerit enim se Deus erga nos, quemadmodum nos ipsi nos gerimus erga Deum. *Nulla creatura est, ait S. Augustinus, quæ non, velit, nolit, diuinæ prouidentia seruiat. Facit enim cum ea, quæ ex animo seruit, quod bonum est: de illa verò, quæ hoc non vult, fit, quod iustum est.*

S. Aug. in  
epist. ad Ga-  
lat.

## C A P V T X.

*Aliunde maximè relictos, à Deo maximè curari, ostenditur exemplis veteris Testamenti.*



Raculi suffragio sapientissimus Socrates solebat dicere: *Si quid cura potest, illud cures: at si Deus ipse te curat, cur tu sollicitus tibi sis?* Duo monuit, ne negligentes simus, vbi Deus nos vult labore nostro aliquid emere; & ne, vbi opera nostra inutilis est, diffidamus Deo nos curanti. Ob primum, ait S. Augustinus: *Cum viderimus, aliquem seruum Dei prouidere, ne ista necessaria sibi desint, non iudicemus, eum de castro sollicitum esse: nam & ipse Dominus, propter exemplum, loculus habere dignatus est: & in Actibus Apostolorum scriptum est: Ea quæ ad vitam sunt necessaria, procurata esse in futurum, propter imminentem famem.* Ob secundum, præter supra recitatam S. Frontonij historiam, multa nobis alia paternæ suæ curæ exempla Dominus reliquit, quæ meritò possint spem fiduciamque nostram accendere.

I.  
Max. serm.  
de Prouid.

S. Aug. lib.  
de serm. Do-  
mini in mon-  
te.

Et quanquam, vt in prouerbio est, manus cum Deo mouendæ sunt, Sanctus tamen Ignatius noster egregiè docuit, semper pluris faciendam Dei opem, quàm omnia mortalium auxilia. *Adijt aliquando Ignatius ad salutandum Principem virum nostri studiosum, à quo minus officiosè, quàm par erat, exceptus est. Causam Ignatius arbitratus est, quod minus eius opera, ad res Societatis, atq; patrocinio uteretur. Erat enim, aut videri volebat Societatis nostræ percupidus, molestèq; forsitan ferebat, quod alios, ad nostram defensionem, se prætermisso, potius adhiberemus. Tunc Ignatius mihi, dicam, (inquit) illi, & apertè dicam, me ante 30. annos à Deo didicisse, vt in ijs efficien-*

II.  
Petr. Ribad.  
in vita S. I-  
gnat. l. 5. c. 9.